

nimus modo quaenam sit haec virtus, utrum sit distincta ab omnibus aliis certe cognitis, e. g. a caritate, a religione, a spe; sed tantum statuimus aliquam esse virtutem, quae sola par sit ad detestandum omnia peccata.

II. Sane certum est 1) posse hominem uno actu in instanti concipere dolorem omnium peccatorum suorum, licet quam plurima sint et specie diversa: atqui id in sententia, quam impugnamus, est impossibile. Cum enim peccata essent plura et diversa, oporteret singulas virtutes iis peccatis oppositas ex proprio motivo elicere actum detestationis peccati sibi contrarii; ideoque sequeretur plures esse actus in voluntate successivos, et idcirco moram aliquam temporis maiorem vel minorem, pro multitudine peccatorum, necessariam esse ad dolorem concipiendum de omnibus peccatis; tot enim erunt instantia successiva, quot actus: ergo.

2) Peccata omnia licet disparatissima, sub aliqua ratione communi conveniunt e. g. quod sint contra Deum, quod excludant a vita aeterna, quod inducant reatum poenae; ergo potest voluntas sub una ex his communibus rationibus peccata detestari: atqui ex unitate rationis, quae in pluribus obiectis reperitur, una constituitur virtus ea omnia obiecta sub illa ratione attingens. Ergo.

#### THESIS IV.

*Certum est actum poenitentiae formalis, quam Catholica doctrina commendat, determinari posse ex pluribus motivis diversarum virtutum, quae non sint formaliter poenitentia, earum praesertim, quae universales dicuntur.*

I. Praestituenda sunt quaedam. Praesupponendum est 1) quod in salutari detestatione peccati, istud a poenitente spectandum est cum aliqua relatione ad Deum, nempe prout est contra Deum; haec est enim unica relatio, quam ad eum habet. Porro, ut monet Valentia in 3. p. D. VII. q. 8. non perinde est detestari peccatum *ut est offensa Dei*, et detestari illud *eo quod est offensa Dei*. In primo offensa Dei se tenet tantum ex parte obiecti, in altero etiam ex parte motivi. Nunc illius prioris necessitatem affirmamus: loquimur autem de poenitentia salutari, h. e. ea quae peccatorem disponit ad iustificationem. Iam vero necesse esse ut a poenitente peccatum spectetur cum aliqua relatione ad Deum, probatur 1. quia hic est communis fidelium sensus, quibus poenitentia est displicentia offensae et iniuriae illatae Deo; hoc enim semper cogitant cum eos peccasse poenitet, unde et veniam deprecantur, et quantum in ipsis

est satisfactionem offerunt pro offensa. Idem 2. a Scripturis docemur; nam cum Scripturae proponunt peccatum detestandum poenitentibus, illud semper exhibent ut transgressionem divinae legis, aversionem a Deo, offensam Dei. Ita ex. g. Ierem. II. 19. 20. Scito et vide quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, et non esse timorem mei apud te... dixisti: non serviam. Cf. Genes. III, 17; 2. Reg. XII, 7. 13; Psal. IV. 6; Isai. I, 2. 16. 17. Idem docemur 3. a Conc. Trid. docente Sess. XIV, c. 4. poenitentiam praeparare ad remissionem peccatorum, si coniuncta sit cum fiducia divinae misericordiae, seu, ut alibi ait, cum spe veniae: quorum vero haec spes veniae requiretur, si poenitens detestari posset peccatum quin illud consideraret ut est contra Deum? Et sane 4. poenitentia salutaris est conversio hominis ad Deum; atqui ad Deum non convertitur, qui peccatum detestatur nulla habita ratione Dei, quem offendit: ergo.

Dices: qui peccaret ignorans existentiam Dei, ipse Deum non offenderet, praesertim si ignorantia Dei esset invincibilis: quomodo ergo oporteret eum illius peccati, prouti est offensa Dei, postea poenitere? Respondeo attingi quaestionem de peccato *philosophico et theologico*. Ista vero appellationes non proprie distincta peccata, sed distinctas formalitates eiusdem peccati significant. « A theologis (ait s. Thomas p. II. q. LXXI, a. 6. ad 5.) consideratur peccatum praecipue secundum quod est offensa contra Deum; a philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi. » Exstat super hac re de peccato philosophico propositio damnata ab Alexandro VIII, de cuius sensu confer Viva in theologica trutina thesium damnatarum. Nunc breviter respondeo 1) ignorantiam Dei sub conceptu supremi Domini et Legislatoris esse moraliter impossibilem in homine, qui iam ratione bene utatur; quod si in aliquo ad breve tempus ea supponatur, quandoquidem cognitio Dei tandem aliquando ratiocinio colligitur, in eodem adhuc ita rudi deerit et cognitio sufficiens, quae ad peccatum formale requiritur: 2) in homine ratione utente, *qui peccat*, haberi necessario notitiam Dei sub conceptu supremi legislatoris. Si enim peccat, advertit se agere id quod non solum dedecet eum, sed quod ipse debet non agere; sentit proinde se aliqua lege teneri, quae tamen lex profecto nec ipse est, nec sua ratio; neque ipse apprehendere potest naturam aut rationem suam ut inferentem obligationem sibi. Itaque cum peccat, advertit se aliqua lege teneri, quam sibi nec ipse nec natura sua posuit: concipit ergo legislatorem aliquem, cui sua natura subest, hic porro Deus est. Ergo metaphysice impossibile est ut in homine ratione utente et peccante desit cognitio Dei.

Dices rursus: potest poenitens iuxta Conc. Trid. detestari peccatum ex solo motivo turpitudinis eius, puta peccatum furti eo quod est contra iustitiam: atqui in hac detestatione non est consideratio offensae Dei.

Respondeo cum Lugo, Disp. V. Sect. 9. « eam non esse veram attritionem, nisi consideret peccatum in ordine ad Deum, (ut docuit Valentia l. c. et alii). Ratio est quia sicut non sufficit ad veram attritionem considerare peccatum ut causativum poenae apud iudicem humanum, quia illud motivum non facit hominem converti ad Deum, sed ad iudicem, quem timet, ita non sufficit considerare peccatum prout praecise opponitur regulae rationis in ordine ad convictum humanum, quia illud motivum non convertit hominem ad Deum, sed ad regulam rationis et ad convictum humanum: quare per hunc dolorem nullo modo tollitur aversio a Deo posita per peccatum. Oportet ergo in peccato considerare aliquam oppositionem cum Deo... Nec obstat Tridentinum, nam ibi non ponitur pro motivo attritionis quaecumque turpitudine moralis, sed *turpitudine peccati*, peccatum autem ut *peccatum* dicit oppositionem cum Deo. Nam, ut suppono ex materia de peccatis, licet malitia moralis possit desumi per oppositionem ad regulam rationis, malitia tamen peccati, ut peccatum est, non sumitur nisi ordine ad Deum. »

Distinguenda est 2) cum Theologis poenitentia virtualis et formalis. Poenitentia virtualis dicitur actus simplex caritatis Dei super omnia. *Simplex* inquam, qui nempe non sit quoque detestatio peccatorum. Casus, qui accidere potest, hic est: sit peccator, qui actu peccata sua, quorum adhuc est reus, non cogitans elicit actum dilectionis Dei; cum sua peccata non cogitat, illa nequit eo actu detestari: attamen quia actus dilectionis Dei est dispositio proxima et infallibiliter nexa cum iustificatione, peccator per eum actum iustificatur. Hic actus dicitur poenitentia virtualis, tum quia quoad effectum aequivalet poenitentiae; reconciliat enim hominem Deo et iustificat, tum quia virtute continet detestationem et dolorem peccatorum; si enim peccata cogitarentur, ille idem actus sufficiens esset ad excitandam detestationem et dolorem de peccatis. Cf. Valentia q. III. P. 2. Poenitentia autem formalis est ea, quae explicite detestatur peccatum. Porro hic agimus de poenitentia formali.

Notandum 3) virtutes distingui a Theologis in universales et particulares. Virtus universalis ea dicitur, cuius obiectum formale ea gaudet amplitudine, ut ei quodvis peccatum opponatur: particularis e contrario cui aliquod tantum opponitur. Prioris generis sunt caritas, spes, religio, obedientia, gratitudo erga Deum, et si quae aliae huiusmodi sunt: posterioris generis sunt ex. g. temperantia, forti-

tudo, fides etc. Hic consideramus potissimum virtutes universales, dicturi aliquid in fine thesis de particularibus.

II. Itaque statuimus actum poenitentiae salutaris, quam Scriptura et Traditio commendat, posse determinari ex pluribus motivis diversarum virtutum. Actus poenitentiae multiplex est, nempe, testibus Patribus Tridentinis, contritio, confessio, satisfactio; horum tamen actuum tertius specificè acceptus, prout a prioribus distinguitur, non est essentialis poenitentiae, secundus requiritur iure positivo divino ad poenitentiam sacramentum; quare essentia poenitentiae integre servatur in contritione, qua existente et alii actus in voluntate sponte determinantur. Actum igitur poenitentiae salutaris heic intelligimus actum detestationis et doloris peccatorum; satis est enim de eo disputare, quia ipse est essentialiter poenitentia, et quia quod de eo dicitur, de ceteris quoque, qui illum consequuntur, dicendum est, et quia de eo tantum quaestio est inter theologos.

Quaerunt ergo theologo utrum actus poenitentiae elici possit a virtute, quae non sit formaliter poenitentia, puta caritate, spe, religione etc. Communis valde est responsio saltem quoad caritatem eam elicere posse actum poenitentiae. Nos, ommissa nunc mentione actus eliciti, defendimus primum posse actum poenitentiae determinari ex motivis diversarum virtutum; disputabimus deinde de actu elicito.

Sane actus poenitentiae salutaris ille profecto est, quem catholica doctrina nobis exhibet. Is porro est qui a Patribus Tridentinis describitur Sess. XIV. cp. 4. « Dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero ». Ex qua definitione liquet ad essentiam contritionis haec postulari, detestationem et dolorem peccati praeteriti, et propositum non peccandi. Potest hic actus contritionis esse poenitentia perfecta vel imperfecta; verum perfectio vel imperfectio eiusdem pendet ex motivo, a quo detestatio, dolor et propositum procedunt; utraque autem est poenitentia salutaris. Unde et Scripturae nullo diserte declarato motivo, ad poenitentiam hortantur: Matth. III, 2. Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum. Act. II, 38. Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum: Ioel. II, 12. 13. Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio et in fletu et in planctu, et scindite corda vestra et non vestimenta vestra.

Iam vero huiusmodi actus ex pluribus motivis determinari potest. Nam 1) determinari potest ex motivo proprio caritatis sive ex bonitate Dei per se dilecti, cui bonitati peccatum opponitur. Determinari 2) potest ex motivo spei, sive ex beatitudine, quam a Deo

speramus, cuius beatitudinis consecutionem prohibet vel retardat quodcumque peccatum. Huc spectat quoque 3) motivum timoris servilis, quod est malum quod Deus peccantibus infligit vel temporaneum, sive in hac sive in altera vita, vel potissimum aeternum, quod malum aut hoc aut illud cuicumque peccato Deus minatur. Determinari 4) potest ex motivo religionis, quod est cultus Deo debitus in signum suae excellentiae, et protestationem propriae subiectionis; nam omnia peccata opponuntur cultui divino: nimirum cultus divinus est honor Deo exhibitus per certos actus significantes nostram subiectionem et Dei excellentiam; quatenus vero cultus est honor Deo exhibitus, eoque significamus subiectionem nostram excellentiamque divinam, ei adversatur quodvis peccatum, quod est inhonoratio Dei. Determinari 5) potest ex motivo obedientiae, quod est honestas servandae legis divinae, cui contrariatur profecto quodcumque peccatum. Determinari 6) potest ex motivo gratitudinis Deo debitae propter accepta beneficia, cui gratitudini adversatur quodlibet peccatum. Patet virtutes ex his motivis sive obiectis formalibus constitutas non esse formaliter poenitentiam, easque esse posse nullo existente peccato. Cum ergo voluntas possit in unumquodque ex his motivis ferri tamquam in bonum, eademque fugiat et abhorreat a malo opposito, potest voluntas ex amore cuiuscumque horum motivorum odisse offensam Dei a se admissam, quae eis adversatur, et nolle amplius illam admittere: hic autem est actus poenitentiae salutaris. Est praeterea hic actus poenitentiae formalis: quia est formaliter detestatio offensae Dei et prepositum non peccandi de cetero, qui actus, iuxta Tridentinum, est formalis actus contritionis ideoque poenitentiae illius, quam Ecclesiae doctrina commendat. Et quia quodlibet ex his motivis est universale, valetque pro quocumque peccato, potest voluntas uno actu quaecumque peccata propter haec motiva detestari.

III. His vero stabilitis quaestio fieri solet an actus poenitentiae ab his virtutibus procedens sit eorum actus elicitus an imperatus. Distinctio inter actum elicitem et imperatum habet primo locum inter liberos actus voluntatis et actus ceterarum facultatum, quae subsunt imperio voluntatis. Inventum est autem quod, analogice saltem, ita se habet unus habitus operativus ad alios operativos habitus, sicut se habet facultas, qualis est voluntas, ad alias facultates. Nam et habitus est principium proprium ac immediatum alicuius actus (confer dicta in fine Thesis II), unde talis actus est *elicitus* ab ipso, et potest imperare actus aliorum habituum sive ii habitus sint in eadem facultate sive in alia; hi autem actus qui ab his habitibus eliciuntur, sunt quoad illum priorem *imperati*. Conceptus clarus actuum ab

aliquo habitu imperatorum huc redit, nempe ex motivo unius habitus velle exercere actum alterius, puta actum fortitudinis ex motivo caritatis. Cum actus alicuius virtutis imperatur, adest quoque actus elicitus virtutis imperantis; secus si ipsa virtus in actu non sit, nequit intelligi quomodo imperet seu quomodo eius motivum vim suam exerat.

Advertendum est actum elicitem alicuius habitus non differre specie ab eo, qui a facultate ponitur non instructa habitu, sed agente ope solius gratiae actualis. Hinc sive existat habitus sive non existat, actus dicitur elicitus illius habitus, si sit a facultate agente secundum motivum proprium eiusdem habitus: ideoque actus, e. g. dilectionis proximi propter Deum in peccatore est actus elicitus caritatis. Item nullo etiam existente habitu virtutis, potest actus unius virtutis ab alia imperari; potest enim homo ex alicuius virtutis motivo, quod actus prosequitur, velle exercere actum alterius virtutis, ad quod sufficit facultas et gratia actualis, si actio sit supernaturalis, atque actus a facultate procedens citra quemvis habitum.

Advertendum quoque actum imperatum, si sit actus interior, retinere propriam speciem qualem haberet si non esset imperatus, propriumque obiectum formale. Ita actus fidei a caritate imperatus, idem est ac ille, qui poneretur citra imperium caritatis.

Itaque cum Theologi quaerunt an poenitentia iis motivis determinata, quae superius enumeravimus, sit actus elicitus an imperatus earum virtutum, quaestio, si non sit nominalis sed realis, huc redire debet: utrum actus huiusmodi poenitentiae habeat ipsum obiectum formale virtutis ex cuius motivo determinatur, an non. Si enim habet, erit actus eius elicitus, sive existat habitus virtutis, sive non existat; si non habet, sed aliud obiectum formale habet, erit actus imperatus. Porro obiectum aliquod formale dupliciter per actum attingi potest, scilicet prosecutione et fuga. Prosecutione, cum facultas fertur in illud tamquam in bonum suum: fuga, cum eadem facultas ex amore eiusdem recedit ab illo, quod eidem repugnat. Hinc eiusdem virtutis est bonum prosequi et refugere a malo opposito.

His statutis manifestum est actum caritatis esse et diligere Deum et odisse eius oppositum, quod est peccatum, quod bono divino adversatur divinaeque amicitiae; detestatio ergo peccati et voluntas nunquam peccandi potest sub hoc respectu esse actus elicitus caritatis. Item actus religionis est velle cultum Dei et odisse eius oppositum: cum ergo peccatum possit considerari ut oppositum cultui divino, potest esse obiectum odii, quod sit actus religionis; ideoque detestatio peccati et voluntas non peccandi potest sub hoc respectu esse actus religionis. Idem instituat ratiocinium quoad obedientiam et gratitudinem.

Id autem negamus de virtute spei, cuius potest poenitentia esse actus imperatus, sed non elicitus. Ratio est, quia peccatum non opponitur formaliter obiecto formali spei, sicut opponitur formaliter obiecto formali praedictarum virtutum, sed opponitur tantum causaliter, quatenus nempe est inductivum privationis beatitudinis, a qua privatione spes abhorret. Porro actus detestationis illius rei, quae est causa illius quod refugit virtus, non est actus elicitus illius virtutis, sed solum imperatus esse potest. Actus enim elicitus virtutis versatur vel circa obiectum formale prosequendo, vel circa id, quod ei formaliter opponitur, fugiendo: at obiecto formali spei opponitur formaliter privatio eius, non peccatum. Et sane quis dixerit detestationem peccati et propositum non peccandi esse spem? an ipsi competit definitio spei?

Constat quod de spe diximus idem dicendum de timore poenitentiarum, qui est prorsus alius actus a detestatione peccati et proposito non peccandi.

**Corollarium I.** Cum ab aliqua ex virtutibus supradictis elicitur actus poenitentiae, ea virtus, prout illum actum elicit, potest sub eo respectu denominari poenitentia.

**Corollarium II.** Cum poenitentia ad iustificationem necessaria sit ea, quam Concilium Tridentinum describit, eaque non sit actus proprius unius specialis virtutis; consequens est poenitentiam necessariam non esse eam, quae sit actus alicuius virtutis specialis (de qua utrum sit disputabimus in seq. Th.) sed indeterminate esse eam quae sit actus sive huius sive illius virtutis. Licet enim aliquando per accidens postulari possit ut poenitentia ad iustificationem obtinendam sit ex caritate, non est tamen necesse ut ea a caritate eliciatur, sed potest esse actus ab ea imperatus, atque esse in se actus formaliter alterius virtutis sive alicuius ex supradictis, sive virtutis specialis poenitentiae, ut explicabimus in seq. thesi.

IV. Hactenus locuti sumus de virtutibus, quas diximus universales. Quaeri potest an virtus particularis quoque detestari valeat peccatum, non quodvis, sed illud, quod sibi opponitur. Sane temperantia e. g. quaerit moderationem in cibo et potu, refugitque ab immoderatione, quia eiusdem virtutis est velle bonum et abhorre ab eius opposito malo; porro immoderatio est peccatum: poterit ergo temperantia detestari peccatum illud, sive aliis verbis detestatio peccati intemperantiae potest esse actus temperantiae. Hinc non pauci Theologi concedunt poenitentiam singulorum peccatorum posse esse actum singularum virtutum, quibus peccata adversantur. Quae quidem detestatio, ut sit poenitentia salutaris, necesse est ut qui ex motivo proprio specialis virtutis peccatum ei oppositum detestatur, peccatum

consideret simul ut offensam Dei, eamque detestetur, ut monuimus ab initio. Qua in re discrimen apparet inter has virtutes particulares, et eas, quas indicavimus, universales. Nam eae universales virtutes Deum habent, vel ut obiectum formale, vel ut terminum, unde detestatio peccati sub ratione offensae Dei apte cohaeret cum eorum motivo et ex eo consequitur. At hae virtutes particulares per se non respiciunt Deum, sed rationem cui conformantur; unde detestatio e. g. intemperantiae quia est contra rationem sive exigentiam naturae, quod est motivum particularis virtutis temperantiae, non exigit ut intemperantia spectetur prout est offensa Dei. E contrario si detestaris peccatum intemperantiae, h. e. intemperantiam, prout est peccatum, nequis, ut diximus superius sub n. 1. praescindere a consideratione Dei, seu supremi legislatoris, cuius legem violasti. Quocirca ut vere te poeniteat huius peccati, oportet ut alio motivo movearis praeter id, quod est proprium huius virtutis.

#### THESIS V.

(aa. 2. 3.)

*Exstat motivum speciale detestandi peccata, petita ex ipsa intrinseca natura peccati, quod est offensa et iniuria Dei, qui ius essentialiter habet, ut sibi honor a creatura rationali deferatur, suaque voluntas fiat, quam quidem iniuriam debitum consequitur compensationis seu satisfactionis exhibendae. Quare peccatum, ut offensa Dei est, expiandum per actus quoque, quoad eius fieri potest, ipsius poenitentis, potest esse obiectum poenitentiae formalis. Poenitentia autem huiusmodi est virtus specialis.*

I. Deus est principium et finis omnium, ideoque habet ius ex ipsa sua essentia rerumque essentialis determinatum ut creatura rationalis ei se subiiciat, ad eum se dirigat, illumque omnibus praeferat. Habet nimirum Deus ius ut creatura rationalis dignitatem suam principii ac finis et mente cognoscat et voluntate protestetur, ipsum cognoscendo et amando.

Porro in hac cognitione et amore practice consistit honor ille extrinsecus (extrinsecum inquam Deo), qui Deo deferri potest: habet ergo Deus ius ut sibi honor a creatura rationali deferatur.

Iam vero Deus, qui ius habet ad honorem sibi exhibendum a creatura, habet hoc ipso quoque ius ut ab eodem voluntas sua fiat. Nam neque creatura supremo Domino se subiiciet sicut oportet nisi eius faciat voluntatem, neque ad Deum supremum finem assequen-